

que deficentibus Hospitali Stae. Catharinæ Canigiano data in summ. Martii n. 4. Et haec omnia bona in genere tantummodo comprehendit, non autem domos praedictas emphyteusi \* suppositas specialiter refert, quæ proinde tanquam alienari prohibita sub generali bonorum appellatione non consentit inclusæ ad text. in l. obligatione generali ff. de pign. Bald. in l. voluntas n. 14, de fideicommissis Bartol. in l. codicillis, §. instituto n. 5, ff. de leg. 2, ibique Imol. in fin. Card. Mant. de tacit. lib. 22, tit. 28, n. 54. Negusant. in tract. de pign. p. 2, memb. 2, n. 42, Rot. in Romana domorum 3. Junii 1577, coram Lan-cell. post Marchel. part. 1, fol. 133, n. 1.

Vel desumitur ex obligatione perfolvendi diversis vicibus scut. 165, data in summ. Martii n. 13, ac si domos praedictæ emphyteuticæ, quarum quoque mentio in obligationibus facta fuit, ad favorem creditorum dicantur hypothecæ contra formam investituræ suppositæ; Et incusa dici non poterit, cum mentio eorum domorum facta solummodo legatur in narrativa, quod illæ penes ipsum existent, in parte vero dipositiva, seu obligatoria specialiter expressæ non fuerint, sed generalis tantummodo bonorum omnium mentio præcesserit, sub qua bona specialiter hypothecari prohibita \* non præsumuntur inclusa, quoties privationis pena inde continget Alex. conf. 41, n. 2, cum seqq. lib. 6, idem Mant. de tac. lib. 22, tit. 28, n. 54.

Rot. dec. 509, n. 8, p. 4, tom. 3, rec. Inspecto præser-tim solito emphyteute, cæteris in alienationibus 10 directi Dñi consensu reservandi, \* quod ad declarandum in hoc casu dubio, ejusdem voluntatem bene poterit deseruire, secundum Castr. conf. 347, lib. 3, Roman. conf. 261, n. 4, Aym. conf. 211, n. 8, Rot. dec. 274, n. 4, part. 4 divers. & in Anagnina usurarum 23. Maii 1608, coram Manzanedo post 2. vol. conf. Farin. dec. 255, n. 9.

Vel denique innitur deliberationi subsecutæ ad instantiam cuiusdam Contugii creditoris Hieronymi emphyteutæ pro pretio scut. 25. Et effectum

caducitatis operari non potest, vel quia ad vitam ipsius Hieronymi facta censetur, vel quia prævio

11 Judicis decreto \* præcessit, adeoque tanquam coa-cta devolutionem ad favorem directi Domini non induxit, ut respondit Rot. cor. Caval. dec. 622, n. 6,

& in dec. 25, n. 12, part. 6, rec. & in dec. 283, n. 2,

P. 4, tom. 2, & in dec. 509, n. 5, p. 4, tom. 3, rec.

Devolutio pariter sustineri non potest ejus res-

pectu domus sub directo familie de Stefanonis do-

minio constituta, quæ in censu ad favorem Flami-

nii imposito hypothecata fuit absque consensu e-

jusdem familie: Quia non probatur ex adverso

12 In Instrumento concessionis in emphyteusum \* ip-

sius hypothecatio prohibita, adeoque potuit sub

generali hypotheca legitime comprehendî, ad

text. in l. tutor, §. fin. ff. de pign. act. & not. ibi DD.

& in l. fin. C. de jure emphyt. post glos. ibi in verb.

vendere glos. in cap. patui in verb. vendere de locat.

Ripa in l. filius fam. §. Divi n. 90, ff. de leg. 1, & de

communi testatur Clar. in §. emphyt. qu. 18, Gabr.

de reg jur. concl. 12, n. 18, Rot. dec. 425, n. 6, p. 1, divers.

Et licet eadem domus concessa fuerit Contugio

de anno 1647, qui eam successivè distraxerat in

Martium adversarium de anno 1650, directi Domini consensu non requisito: Haec tamen vendi-

13 tio \* præjudicium nullatenus intulit Flaminio, e-

iusque hæreditibus uti res inter alios acta ad text.

in l. sapè, ff. de re judic. l. si cui, §. iisdem, ff. de

accusat. cap. inter dilectos de fide instr. cum aliis per

Scacc. de Judic. lib. 2, cap. 11, n. 206.

Denique nec suffragantur ad retentionis effec-

tum plura credita pro parte Martii producta. Si-

quidem aliqua ex iis directi Domini consensu des-  
tituta probantur, reliqua vero præfato censu pos-  
teriora, ac sine hypotheca noscuntur, adeoque in  
præjudicium anterioris creditoris hypothecarii re-  
tentionis \* Beneficium operari non poterit ad fa- 14  
vorem posterioris pro credito hypotheca carente  
ad text. in reg. qui prior de reg. jur. lib. 6, not. Sord.  
conf. 4, n. 41, lib. 1, & indubitate in jure dixit Rota  
in dec. 412, n. 1, coram bo. me. Urgell. & coram  
Comitulo dec. 167. Dum maximè credita anteriora  
quatenus adhuc Domini directi consensu munita  
in actis ejusdem Societatis Custodes solutione me-  
diane promiserunt extinguere.

Et ita, &c.

### DECISIO LXXV.

R. P. D. CERRO.

Cathacen. Legati.

Veneris 7. Junii 1652.

### SUMMARIUM.

1 Pecunia in legato mobilium continentur. Disin-  
gue ut n. 2. Amplia ut n. 5. & 6.

3 Clerico interdicta est negotiatio.

4 Clericus pecunias retinere præsumit causâ pre-  
sidii & non lucrandi.

7 Census decursi in vita testatoris veniunt in lega-  
to nominum debitorum. Inter mobilia connu-  
merantur, n. 8.

D Ecius Scoglio legatum controversum in hæc  
verba concepit, ibi, *Lego amplius Petro*  
*Franc. de Pace, & Ant. Minardo omnia alia mobi-*  
*lia, argentum, & aurum Domi quæ conservantur,*  
*nominis debitorum, & omnia alia existentia in mea*  
*domo.* Cumque non dubitetur de comprehen-  
sione mobilium, supellecillum auri, argenti, ac  
nominum debitorum. Difficultas restricta fuit ad  
pecunias in dicta domo repertas in summa duca-  
torum 1700. circiter, ac ad fructus censuum di-  
cti Testatoris, sed proposito dubio, quæ com-  
prehendantur in legato, resolutum fuit in ipso  
comprehendi etiam pecunias Domi existentes,  
& fructus census jam maturatos.

Respectu enim pecuniarum \* Domini transfe-  
runt cum dispositione text. in l. predia §. liberio,  
ff. de fund. intr. ubi J. C. respondit pecuniam con-  
tineri sub legato mobilium, nisi contraria voluntatem defuncti hæredes probaverint, quem se-  
quitur gl. ibid. verb. ut sup. Dec. in l. singul. n. 21,  
ff. si cert. pet. conf. 381, n. 4, ubi allegat text. in §.  
quia parum aut. de nupt. & conf. 472, n. 6, Paris.  
conf. 67, n. 12, & conf. 79, n. 45, lib. 2, Rim. jun. conf.  
216, n. 84, lib. 2, Curt. jun. conf. 183, n. 1, Menoch.  
conf. 407, n. 8, & 9, Surd. conf. 26, n. 3, Petegrin. de-  
cif. Patav. 32, n. 5, cum seqq. Rota decif. 410, n. 3,  
vers. tamen non est dubium part. 2, recent.

Et quamvis præfata conclusio videatur intelligenda secundum distinctionem \* adductam in l. si  
Chorus §. 1, ff. de legat. 3, ut scilicet esse solummodo  
pecuniae, sub legato mobilium continenter, quæ  
præsidii causa in Domo retainentur, non autem illæ,  
quæ mutuo, vel fœnori destinatae conserventur.

Nihilominus hujusmodi distinctione casui nostro  
non repugnat, sive attenta qualitate Testatoris,  
cui tanquam Clerico \* interdicta erat omnis ne-  
gotiatio, cap. Cleric. de vita & honest. Cleric. Ruin.  
conf. 127, num. 10, vers. non obstat, lib. 4, Genuen.

pract.

### Ad materiam de Alim. Decis. LXXVI.

135

pract. Eccles. q. 664, sub n. 3, vers. qua ratione. Rota  
in Firmana Pensionis 19 Junii 1644, coram R. P. D.  
mes Celso, ac proinde existimari debet, quod solius  
præsidii causa, \* non autem ad effectum facerandi  
pecunias controversias in domo retineret, ut in  
terminis ponderat Dec. dict. conf. 472, sub n. 24, si-  
ve etiam per pensa illius voluntate ex amplissimis  
verbis, quibus honoravit legatarios, resultante,  
nam post mobilia, argentum, aurum, & nomina  
debitorum, ulteriori prosequendo addidit, & omnia  
alia existentia in mea domo, ex quorum exuberan-  
tia patet quod non sumus in simplici legato mobili-  
lium \*, sed in magis amplio, ita ut propterea eo fa-  
cilius sub ipso controversie pecuniae contineri vi-  
deantur, ex adductis per Afflct. dec. 106, n. 7, & per  
Rot. coram sa. me. Gregor. dec. 257, n. 3, & in terminis  
Curt. jun. dict. conf. 183, n. 4. Ludov. Bell. conf.  
77, n. 31, per doctrinam Bart. in leg. generali y. uxori  
sub n. 4, in fine, vers. secus si haberet, ff. de usufruct.  
legat. Imò ictu fuerunt explicitè comprehensa  
pecuniae \*, quatenus fuissent negotiatio defini-  
natæ, per text. in l. qui filium §. & magis puto ff. de  
legat. 3, quem refert Gabr. conf. 98, n. 33, lib. 2.  
Respectu vero fructuum censum placuit distin-  
ctio, quod aut agitur de maturatis in vita Testato-  
ris \*, & cum isti veniant appellatione nominum  
debitorum, & mobilium, Alciat. in l. moventum 93,  
n. 6, vers. sed hanc ego distinctionem ff. de verb. signif.  
Tiraquel. de retract. lignag. §. 1, gl. 6, n. 10. Roderic.  
de annuis redditibus lib. 1, q. 8, n. 11, comprehendetur  
in legato controversio; Aut vero agitur de  
maturatis post mortem dicti Testatoris, & in futu-  
rum maturandis, & sub eo non comprehendetur,  
cum census \* inter immobilia connumerantur,  
Angel. conf. 328, n. 1, Fulgos. conf. 103, n. 2, Grat. dec.  
Marchie 13, n. 7, & 8. Cenc. de cens. qu. 30, n. 6, cum  
seqq. & q. 72, sub n. 12, circa med. Rot. apud eundem  
dec. 431, n. 8, & dec. 311, n. 16, part. 7, recent. nec ve-  
niunt sub nomine jurium Testatoris Card. Seraph.  
dec. 224, n. 4, Rota dec. 235, n. 5, eadem part. 7.  
Et ita utraque, &c.

### DECISIO LXXVI.

R. P. D. CELSO.

Pisturen. pecunaria.

Veneris 14. Junii 1652.

### SUMMARIUM.

1 Indemnitatis promissio, sortem, fructus, damna, &  
interesse includit.

2 Damna passa ex Instrumentis probantur.

3 Scientia certa ex quibus resulet.

4 Intimatio in præjudicibus fieri debet principali,  
& non procuratori. Declara ut n. 5, & 6.

7 Procuratorem in gravibus certiorasse principalem  
præsumendum est.

8 Statutum, quod citationes fiant domi, dimissa co-  
pia, valet.

9 Rubrica habens orationem perfectam declarat  
nigrum.

10 Civis censetur, qui se tales in contractu no-  
minavit.

P Ro solvendis fructibus duorum Censuum,  
quos de anno 1612. & 1618. imposuerat  
Alexander Auctor Com. de Thienis, coacti fue-  
Decisiones ad Tract. de Alim.

runt Com. de Santinellis accipere sub usiris di-  
versas pecuniarum summas, quarum restitu-  
tio cum ex adverso controverteretur, dubitatum fuit  
coram Eminentiss. Card. Othobono; an hujus-  
modi interuersio deberentur, & affirmativè respon-  
sum fuit: Hodie reproposita per me causâ,  
super iisdem ex iisdem etiam rationibus, Domi-  
ni persistenter in resolutis. Etenim obliga-  
tio resultat ex Instrumento publico in quo dictus Com. Alexander promisit sub obligatione  
Camerali relevare, & conservare indemnes præ-  
fatos fidejussiones, quæ promisso indemnitatis \*  
continet non solum solutionem sortis, & fruc-  
tum, sed etiam dannorum, & interesse, ex doct. Bald.  
in l. 2, sub n. 5, C. de sent. que sine certa quant.  
prof. Hond. conf. 25, n. 1, lib. 2, Parif. conf. 109, n. 38,  
& seqq. lib. 1, & conf. 16, n. 124, lib. 2, Rota coram  
Burat. decif. 194, num. 2, & decif. 325, n. 14, ubi  
adden. litt. B.

Et ex publicis Instrumentis probantur etiam  
dannæ, quæ passi fuerunt Comites \* de Thienis  
occasione dictæ fidejussionis, ut firmavit Rot.  
coram Seraphin. decif. 593, n. 3, & decif. 935, n. 4,  
& post Modern. Perul. de cens. dec. 137, a nu. 1,  
per tot.

Exceptio vero, quod hujusmodi Instrumenta  
non fuerint per Santinellos notificata, ad hoc ut  
relevatores scientes debitum esse sub usiris pos-  
sent ab illo se eximere, & liberare; tollitur ex pluribus,  
& reiteratis intimationibus, quærum nonnullæ apparent factæ in præsenti Mancini Pro-  
curatoris Generalis ad lites ipsorum Comitum de  
Thienis, ac etiam specialiter deputati ad sufficiendū  
in se quæcumque lites, & molestias à quibusvis  
personis illatas, & inferendas; Aliæ vero  
executæ personaliter tam contra Procuratorem  
prædictum, quam etiam contra ministrum & insti-  
torem eorumdem, juncit etiam decretis, & man-  
datis Judicium super refectione dictorum damno-  
rum. Ex quibus probari certam \*, & indubitatam,  
tradit Abb. conf. 81, sub n. 1, vers. quod autem, lib. 1,  
& conf. 19, ante n. 1, lib. 2, Parif. conf. 100, nu. 88,  
lib. 1, Surd. conf. 429, n. 53, relat. per Gratian. dis-  
ceptat. foren. cap. 433, nu. 77, & cap. 510, nu. 17, &  
firmavit Rota in Romana divisionis 20 Junii 1639,  
coram R. P. D. meo Bichio.

Nec refert, quod in præjudicibus intimatio  
debeat esse personalis contra Principales \*, nec  
sufficiat contra Procuratorem, cum illa dicatur  
scientia præsumpta, non autem vera ex deduc-  
tis in Urbevetana pecunaria 29 Januarii 1635,  
coram bo. mem. Buccabellæ: Nam aliud est sci-  
entiam esse præsumptam, aliud vero illam probari  
præsumptionibus, & conjecturis: Unde cum ex  
supradeductis appareat ad notitiam Comit. de  
Thienis pervenisse executionem dictæ intima-  
tionis \*, & pecunias pro solvendis fructibus eo-  
rumdem Censuum fuisse acceptas sub usiris, talis  
notitia videtur sufficiens, ut firmavit Rota  
decif. 612, n. 4, part. 4, divers. & coram Seraph.  
decif. 1459, num. 12.

Quando enim citatio personalis non requiri-  
tur pro forma, sed tantum ad effectum, ut ci-  
tatus habeat notitiam de contentis in illa \*, tunc  
probata tali notitia citatio dom. dimiss. cop. æ-  
quipollet personali ex text. in clementin. causam  
in fine de election. Roman. conf. 410, nu. 2, Co-  
varrov. in cap. Alma Mater part. 1, §. 9, num. 4,  
vers. tertius casus, de sentent. excommunic. Rota  
coram Seraphin. decif. 1296, num. 3, & in Neapo-  
litana jurisdictionis 11 Februarii 1647, cor. R. P.  
D. meo Bichio.

m

Et eo facilius inclinarunt Domini in hanc sententiam: Tum quia attenta gravitate materiae non est verisimile, quod Comites de Thienis non fuerunt de praedictis certiorati à Procuratore, \* maximè cùm ad dictum effectum terminum pectorit, & obtinuerit ponderat Roman. consil. 481, nu. 7, Hondon. consil. 55, nu. 54, lib. 1, Mascard. de probat. conclus. 554, n. 8, Rota dec. 131, n. 7, part. 2, diversor. & coram Comitul. dec. 119, eod. num. cum aliis per Aden. ad sanct. mem. Gregor. dec. 127, n. 11. Et propterea bene intrat dispositio text. ex adverso allegati in leg. item venient 22, §. petitib. nisi forte is cui denunciatum est eum certioraverit, ff. de petit. bared. & tradit Loffred. consil. 20, num. 20, circa med.

Tum etiam quia etiam extat statutum Pisauri disponens exp̄s, quod Cives, & Habitatores, qui de Civitate recesserint, possint citari dom. \* eorum habitationis, quod statutum servandum esse, advertit Mandol. de inhibit. q. 67, n. 12, Rota dec. 569, n. 2, part. 1, recentior. Et comprehendere Comites predictos, qui ultra quamplura bona habent Pisauri domum apertam ubi retinent ministros, & familiam, probat text. in l. 1, §. domum, ff. de lib. agnosc. Bald. consil. 242, n. 8, lib. 1, Marcab. consil. 69, n. 62, & seqq. & consil. 70, nu. 44, Gratian. qui alios cumulat. disceptat. forens. lib. 3, cap. 484, n. 16. Hieronym. Laurent. decis. Avenion. 140, num. 4, & 5.

Non obstat, quod licet rubrica loquatur per dictiōnem alternativam de Cive, vel Habitatore, Nigrum tamen disponat simpliciter ab illo dicta decisione, vel, nam cùm rubrica \* habeat orationē perfectam per eam Nigrum declarari, & extendi debet, ut desumitur ex text. in leg. unica, Cod. de capitāt. Civ. censib. exim. gloss. in l. 1, verb. retractare, Cod. ne lic. tertio provocar. Alexand. consil. 1, n. 7, lib. 4. Curt. junior. consil. 107, n. 2, & seq. Thob. Non. consil. 17, n. 2, & 3, Menoch. de pr̄sumpt. lib. 6, pr̄sumpt. 1, n. 16, Rota coram Andrea dec. 110, n. 2, & seq. & in recentior. decis. 445, n. 8, & decis. 498, sub n. 6, part. 4, & pluribus exornat Surd. consil. 163, num. 12.

Et tamen Comites de Thienis non possunt dicere, se non esse Cives dum tales \* plures se enunciarunt in diversis Instrumentis, & signanter in mandato procurae de anno 1633, facto in persona Mancini, leg. generaliter, Cod. de non numerat. pecun. Roman. consil. 391, n. 7, & seqq. Mantic. de tacit. lib. 3, tit. 10, n. 28, in fine. Rota coram Buratt. decis. 113, num. 1.

Et ita utraque, &c.

#### DECISIO LXXVII.

R. P. D. CERRO.

Bononien. Fideicommissi.

Luna 27. Junii 1652.

#### S U M M A R I U M.

- 1 Immisso tam propter obitum, quam contravenctionem, hæredis gravati, fideicommissario conceditur. Non retardatur ob præventionem illiquidam, n. 6.
- 2 Alienationis prohibito qualiter concipiatur, inter personas vacatas non attenditur.
- 3 Fideicommissum jam agnatum hæres gravatus cedere potest alteri vocato.

- 4 Pronunciatio ob non purificatam conditionem resolvitur.
- 5 Legitima acceptata in usufructu, nequit ulterius praetendi.
- 6 Trebellianica etiam filiis primi gradus, prohiberi potest.
- 7 Alienationes primæ imputantur in detractiones, & num. 9.
- 8 Nemo plus juris in alium transfert, quam ipse haberet.
- 9 Obligatio anterior aliis præfertur.

Domini, non attentis quæ ex adverso fuerunt deducta, responderunt pro confirmatione decisionis, concedentes immisionem Pompeo super bonis fideicommissariis Prosperi; nam fideicommissum non controvertitur, & purificatio ad favorem Pompei est clara, tum attento obitu Angelæ, & Ludovici sine filiis, \* tum etiam propter alienationes à Vincentio, & Ludovico factas contra expressam prohibitionem Testatoris l. peto, §. fratre, & l. cum pater, §. liberus, ff. de legat. 2, Ruin. consil. 127, n. 13, lib. 5, Surd. consil. 116, n. 16, & seqq. Gabr. consil. 118, n. 2, lib. 1, Fusar. de substit. qu. 554, n. 6, Rota coram Merlino decis. 440, & 445, utroque num. 5.

Nec quicquam facit, quod prohibitio de non alienando non stet de per se, sed sit consecutiva ad præcedentes substitutiones, & propterea non possit inducere novum fideicommissum. Quia hodie non agitur de extensione fideicommissi ultra Personas exp̄s vocatas, \* in quibus terminis procedunt authoritates ex adverso adductæ, sed tautum, quod comprehensi in illo possint avocare bona ab hærede gravato alienata, quo casu non attenditur, quomodo prohibitio concepta fuerit, ut ponderat Mantic. de conjectur. ultim. volunt. lib. 6, tit. 14, n. 24, Fusar. de substit. q. 688, num. 9, Rot. coram Merlino decis. 669, à num. 3, per tot.

Prout pariter non obstat, quod adhuc supervivat Vincentius: Nam cùm ipse alienaverit bona fideicommissi, & ob hujusmodi alienationes illud ad favorem Pompei apertum fuerit, quin in idem Pompeo iura sua deinde cesserit, \* eo magis immisso concedenda venit, quia non impeditur hæres gravatus fideicommissum jam agnatum Alteri vocato cedere, ad text. in l. post mortem 12, Cod. de fideicommissi. Curt. junior in l. 2, col. 1, C. de pæt. Larrea decis. Granat. 15, sub n. 1, & 10, cum aliis per Fusar. de substit. q. 524, n. 14.

Et licet idem Vincentius iura prædicta per prius renunciaverit ad favorem Angelæ: Attamen cum talis renunciatio facta fuerit sub conditione, quod in casum prædecessus ejusdem Angelæ, & Ludovici sine filiis qui casus evenit, \* bona ad Ceden-tem deberent reverti, talis renunciatio, & cessio attento pacto prædicto habetur, ac si facta non fuisset ad text. in l. qui balneum. & leg. potior. ff. qui pot. in pignor. hab. Paris. consil. 48, n. 12, lib. 1, Surd. consil. 178, n. 11, cum aliis quos refert Mantic. de tacit. lib. 14, tit. 46, à num. 1.

Non obstant prætensiæ detractiones, nam respectu legitimæ placuit responsio data in decisione, quod in illam imputari debeat usufructus in testamento relietus. Cumque Elisabeth \* ex cuius persona legitima petitur, testamentum acceptaverit, non est amplius de ea quærendum, ex quo illam consecuta fuit Soccin. jun. consil. 122, num. 8, lib. 1, Peregrin. de fideicommiss. art. 36, num. 62, Rot. coram Merlino decis. 642, sub num. 4, & decis. 664, num. 43, decis. 514, num. 3, part. 4, divers.

#### Ad materiam de Alim. Decis. LXXVII.

137

divers. & in recent. decis. 613, n. 13, & dec. 342, num. 5, part. 5.

Vel faltem negari non potest, quin ex perceptione usufructus prædicti creditum remanserit illiquidum, \* adeo ut donec ex adverso status hæreditatis non liquidatus sub tali prætextu immisso retardari nequeat, Rot. decis. 77, n. 15, & 16, part. 5, recent. & decis. 121, n. 9, part. 6, & latè firmatum fuit in Bononien. manutentionis 19. Junii 1647, coram R. P. D. meo Bichio, in Bononien. fideicommissi de Pancaldis 21. Junii 1649, coram R. P. D. meo Peutinger, & in Bononien fideicommissi 5. Decembris 1650, & 16. Junii 1651, coram me; ultra plures relat. à Gratian. discept. foren. 994 num. 11, & seqq.

Respectu vero Trebellianicæ, constat de expressa prohibitione facta per Testatorem, \* & est certum illam prohiberi posse etiam filiis primi gradus juxta veriorem opinionem, quam probat Alex. in l. cum hæredi §. cum filie nu. 8, ff. de vulg. Gallia. in l. Centurio sub n. 56, ff. eodem, Paris. consil. 1, n. 83, & seq. lib. 3, & latè prosequitur Molin. innumerous cumulans, de primog. Hisp. lib. I. cap. 17, nu. 11, vers. contrarium tamen. Caslador. decis. 4, de test. Mantic. decis. 348, n. 1, & in recent. dec. 462, n. 5, part. 4, tom. 2.

Remanent aliae detractiones, ex adverso justificatæ, consistentes in novem partitis, & constituentes summan lib. 14771, computando in dicta summa dotem Angelæ in libr. 330, tantum, cùm de reliqua summa appareat satisfacta, & quidem quoad summam lib. 8024. res caret difficultate, quia pro parte Pompei docetur de alienationibus, & exactionibus factis in dicta quantitate per Haeredes gravatos ante annum 1631. & sic ante secutam alienationem bonorum, \* de quibus agitur, quæ propterea in causam pæfatarum detractionum cedere debent, jux. text. in l. Marcellus, §. res quæ, ff. ad Trebell. Rot. in Romana fideicommissi. de Capite ferreo 10. Martii 1645, & 19. Februarii 1646, coram Eminentiss. Card. Corrado, cum concordantibus adductis in Mediolanen. bonorum 18. Martii 1648, coram R. P. D. meo Bichio, & 31. Maii 1649, coram eodem Eminentissimo Corrado.

Pro reliqua vero summa lib. 6757 existimarent Domini constare de sufficienti satisfactione ex quo ad manus Elisabeth, & Angelæ ejus filiæ per venerant pecunias in dicta hæreditate repertæ, mobilia argentea, & alia pretiosa ascendentia ad lib. 9700. juxta descriptionem, & estimationem factam in Inventario, necnon diversa credita etiam vigore litterarum cambii in quantitate libr.

7520. Unde ex illis detractiones \* apparent consumptæ, & quod hærides sibi satisficerunt jux. texti. in l. a divo Pio, §. in venditione, ff. de re jud. & in l. cum heres, ibique gloss. verbo deducitur ad S. C. Trebell. Surd. consil. 290, n. 33, vers. insertur, & decis. 170, sub n. 1, & seq. Rota decis. 680, n. 7, part. 1, divers. Caval. dec. 330, n. 4, Buratt. dec. 641, n. 7, & latissimè firmatum fuit in Bononien. fideicommissi de Amorinis 18. Maii 1648, coram R. P. D. meo Melio.

Ac proinde sicuti Elisabeth, & Angela, si essent in rerum natura, non possent prætextu assertarum detractionum excipere de retentione bonorum, que in Adversarios fuerunt alienata, ita nec tali exceptione uti possunt iidem. Adversarii habentes ab illis causam, ad notata per DD. in leg. nemo plus juris, ff. de reg. jur. cum similibus.

Maxime, quia eadem mulieres cum hypotheca, & pacto precari ac clausulis amplissimis, promis-

Decisiones ad Tract. de Alim.

serunt, finito usufructu, restituere bona prædicta, quæ obligatio uti anterior cuicunque posteriori præferenda venit, Rota decis. 419, n. 13, part. 4, tom. 3, recent.

Et ita, &c.

#### DECISIO LXXVIII.

R. P. D. BICHIO.

Romana devolutionis Domus:

Veneris 21. Junii 1652.

#### S U M M A R I U M.

- 1 Confessio caducitatis in emphyteuta inducitur ex acceptatione remissionis, & novæ investitura. Impugnari nequit per consentientem, n. 2.
- 3 Caducitatis per remissionem acceptatam ab emphyteuta liti censemur renunciatum.
- 4 Litis calumniosa pendentia non attenditur.
- 5 Appellatio à mandato de manutenendo executio- neme illius non suspendit.
- 6 Investitura dicitur nova, quæ fit post remissam caducitatem.
- 7 Concessiones in emphyteusim alterata in substancialibus dicuntur novæ, etiam si se referant ad præcedentes.
- 8 Caducitate remissa, si Dominus emphyteusim investiat, quando dicatur nova concessio.
- 9 Verba, de novo concedimus, sola non efficiunt novam investitutam.
- 10 Pacta nova ecclesia utilia non reddunt concessio- nem ecclesiæ novam ad effectum Beneplaciti. Pacta ecclesiæ præjudicia lice Beneplacito non subsistunt, num. 11.
- 12 Beneplaciti defectum sola Ecclesia opponit.
- 13 Clausularum, ad habendum, & in perpetuum virtus evanescatur, ex prohibitione alienatio- nis, sine consensu Domini.
- 14 Emphyteusis non est transitoria ad extraneos, quando alienari permittitur solū inter compre- bensores.
- 15 Priorissa, & privator recipiendo canones Eccle- siae præjudicat, quando ab ea remissio caduci- tatis penderit: fallit, ut n. 16.
- 17 Beneplacitum requiritur, quando res non est so- lita concedi in emphyteusim. Non sufficit, nisi concurrat etiam utilitas n. 18.

**N**Ovas esse concessiones factas de anno 1597, Francisco Calandro, & de anno 1612. Angelæ Calandæ, prout firmat decisio edita sub die 14. Decembris proxime præteriti hodie ad trutinam revocata præmittendum esse ad faciliorem ejusdem decisionis confirmationem, Domini censuerunt ponderantes iterum, quod dictæ concessiones non emanarunt ob lineam finitam, sed post apertam devolutionem ex culpa emphyteutæ in alienando dominum emphyteuti- cam, ac non solvendo canonem, quam culpm, \* & consecutive caducitatem Hospitale adversarium cùm habeat causam à dicta Angelæ, & Francisco, qui in præcitatibus concessionibus caducitatis remissionem etiam mediante solutione certæ quantitatibus, ac sub novis pactis, ut infra dicam, accepitando fassi fuerunt, cap. ex ore, versicul. per hoc de his quæ fuit à major. part. cap. Dec. consil. 206, numer. 7, versicul. ubi exhibens. Rota in Cracovien. Jurispascendi 28. Jun. 1651. coram

m 3